prophetu

nostra pretio conparavimus.

he — minatio — Cervicibus minabamur lassis non dabatur requies.

vau — et ille — Aegypto dedimus manum et assyriis ut saturaremur pane.

zai — ducat — Patres nostri peccaverunt et non sunt et nos iniquitates eorum portavimus.

heth — pavor — Servi dominati sunt nostri non fuit qui redimeret de manu eorum.

teth — exclusio — In animabus nostris adferebamus panem nobis a facie gladii in deserto.

ioth — desolatio — Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis.

caph — Mulieres in Sion humiliaverunt et virgines in civitatibus Iudae.

lameth — Principes manu suspensi sunt facies senum non erubuerunt.

mem — Adolescentibus inpudice abusi sunt et pueri in ligno corruerunt.

nun — Senes de portis defecerunt iuvenes de choro psallentium.

samech — Defecit gaudium cordis nostri versus est in luctum chorus noster.

ain — oculus — Cecidit corona capitis nostri vae nobis quia peccavimus.

phe — Propterea maestum factum est cor nostrum ideo contenebrati sunt oculi nostri.

sade — Propter montem Sion quia disperiit vulpes ambulaverunt in eo.

coph — Tu autem Domine in aeternum permanebis solium tuum in generatione et generatione.

res — caput — Quare in perpetuum oblivisceris nostri derelinques nos in longitudine dierum.

sin — Converte nos Domine ad te et convertemur innova dies nostros sicut a principio.

tau — Sed proiciens repulisti nos iratus es contra nos vehementer.

EXPL. LIB. IHEREMIE PROPHETE

INCIPIT PROLOGUS IN EZECHIELIS PROPHETE

Hiezechiel propheta cum Ioachin rege Iudae captivus ductus est in Babilonem. Ibique his qui cum eo captivi ducti fuerant prophetavit paenitentibus quod ad hieremiae vaticinium sponte se hostibus tradidissent et viderent adhuc urbem hierosolimam stare quam ille casuram esse praedixerat. Tricesimo autem aetatis suae anno et captivitatis quinto exorsus est ad concaptivos loqui et eodem tempore licet posterius hic in chaldaea hieremias in iudaea prophetaverunt. Sermo eius nec satis disertus nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus. Sacerdos et ipse sicut hieremias principia voluminis et finem magnis habens obscuritatibus involuta. Sed et vulgata eius editio non multum distat ab hebraico. Unde satis miror quid causae extiterit ut si eosdem in universis libris haberemus interpretes in aliis eadem in aliis diversa transferrent. Lege igitur et hunc iuxta translationem nostram quoniam per cola scribitur et commata manifestiorem sensum legentibus tribuit. Si autem amici mei et hunc subsannant, dicite illis quod nemo eos conpellat ut scribant. Sed vereor ne illud eis eveniat quod graece significantius dicitur ~~ne caneant~~ ΦΑΓΟΛΟΙΔΟΡΟΙ.

EXPLICIT PROLOGUS

INCIPIT LIBER HIEZECHIHEL PROPHETE

Et factum est in tricesimo anno in quarto mense in quinta mensis cum essem in medio captivorum iuxta fluvium chobar

© 2011 Ministerio de Cultura